DONUM DEI,

SIVE

DE S. SPIRITUS ADVENTU.

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SANCTISSIMUM D. N.

INNOCENTIUM XII.

PONT. MAX.

A NICOLAO MUSCETTULA
Sem. Rom. Convict.

ROMÆ, M. DC. XCVIII.
Typis Antonii de Rubeis propè S. Sylvestrum de Capite in via Vitis.

Superiorum permissu.

INNOCENTIO XII.

PONT. MAX.

FOELICITATEM.

NULLUM *præstabilius est, aut pulchrius Dei munus, quàm sanctus, & Deo simillimus Princeps*, BEATISSIME PATER. *Dicerem Te quoque Dei munus; sed donum non est, quod reddi debet. Utinam Deus non commodasset Pontificem, sed donasset! Verùm hoc arbitror eo consilio factum, ut Te non Deo solùm, sed etiam Tibi deberemus. Debemus Deo, quod Te accepimus: Tibi, quod Te nunquàm redditurì simus; effecisti enim virtutibus Tuis, ut nullus futurus sit optimus Pontifex, qui Te non referat: in quovis perfectissimo, quem dabit ventura ætas,* D.Th. 1 p. qu. 38. art. 2.

 vives,

vives: & cum Divinum aliquid in aliis viderit, Tui Posteritas recordabitur. Verum tamen Deo similis es: sicut enim ulla res condita Artificis sui divinas perfectiones significare omnes nequit; ità virtutes Tuas unus omnes imitari vix poterit. Alius supremum mentis Tuæ in affectus imperium, quo nullum, ut Nepotem, omnes, vt Filios diligis; aliùs profusissimam in Pauperes charitatem; magnificentiam alius in ornanda ædificiis Urbe referre conabitur. Plurimorum ergo sæculorum labor erit, Te unum multiplici imagine expressum Posteris diù Te desiderantibus ostendere: at quamvis nunquam videndus sis totus; felix tamen erit, qui vel una Tui parte tantùm fruetur. Necessitas itaque, non audacia me Tibi tenuem hunc ingenii mei partum sacrare hortata est; nam cum meum esset Divinum Spiritum, Donum Dei oratione laudare, magnam laudum partem præterire non debui. Tu es BEATISSIME PATER *divini hujus Doni Laus ingens; laudabilior namque est Sancti Spiritus Amor, postquam talem nobis Pontificem dedit.*

ORA-

ORATIO.

POSTQUAM Pater Filium ſuum Mundo dedit, à Patre, & à Filio Spiritus Sanctus mittitur BEATISSIME PATER. Non eſt Filio Perſona major Divinus Amor; ſed videri poteſt, ſi poſt Verbum mittitur, majus Donum: libentiùs enim datur Homini Amor, cum datus Filius factus eſt Homo: & qui non ſemel, & largè ſemper donat, non voluntatem tantùm juvandi habet, ſed cupiditatem. Creſcit ex munere munus: creſcit etiam ex injuria. Redit ad Patrem vulneratus Filius: accenditur ignis, ſed non ad fulmina: ardent linguæ, ſed non ad exprobrandum ſcelus: cum pœnas mereremur, dona accepimus: at ſi beneficium non eſt, niſi quod jure negari poteſt, nec æquiùs negari poteſt, quàm ingratis; quàm ingens Donum eſt Spiritus Sanctus, ſi poſt Deicidium mittitur? Ante quam detur, promittitur, quia nimirum felicitas longior eſt expectare ſecurum: promittendo enim præſtanda efficitur, ut quos adepta ſolùm juvarent, etiam adipiſcenda delectent.

Non

Non tamen serò datur, quòd nempe major doni gratia est, quo minus diù pependit: & æquiùs ferimus præcidi spem nostram, quàm trahi.

Dederat Pater Filium suum, sed *Mundus*
Jo. 1. *eum non cognovit*: immo Genus humanum collatum munus adeo non recepit, ut, Christo cruci affixo, eò projecerit beneficium, quò nec injuriam projecisset: Spiritus Sancti adventu manifestatur Mundo Filius, & cum accipimus donum, duo debemus, Filium, & Spiritum Sanctum: sicut cum sol nobis exoritur, debemus soli non lucem modò, sed mare, terram, & omne, quod habebamus quidem, sed à nobis haberi non videbamus. Cur autem inter ventos, & tonitrua, & ignes, tantoque cęli, terræque plausu donum datur? nonne gratum magis est, quod secretò traditur, quod invenitur potius, quàm accipitur? utique: sed si pudeat accepisse, si beneficium infirmitati tantùm consulat, & nisi fiat notitia pulchrius: munera, quæ consequi gloriosum est, palam danda sunt; quid autem nobis gloriosius, quàm adoptari in Filios Dei, & animæ hospitem excipere Deum? Semel tamen sic ad homines venit: solet Divinus Amor stare ad ostium, & pulsare, subinde rogans, ut aperiamus. O admirabilem Numinis beneficentiam! petit à servo Dominus, ab inope dives: si pulchrum est petentis vota statim dando sequi, si pulchrius antecedere, quid erit, si qui largitur,

non

non qui recipit, roget? Venit, sed non abiturus: beatus ille ignis sedit super capita Apostolorum: tamdiù frui hoc dono possumus, quamdiù volumus: nec discedit à nobis, expellitur.

Hactenus ornamenta Doni; ipsum nunc Donum consideremus. Res quævis vel minima, si magnus illam dederit amor, est ingens munus: pretium enim donorum donantis est amor. Datur hodie nobis Divinus Amor: eo pretiosius donum finge, si potes. Primum Donum dicitur Divinus Amor, quòd ex illo, velut ex fonte cuncta bona promanant: communicat omnia bona, qui Amorem largitur, nec habet quid amplius donet, qui dedit fontem donorum: fingere quid pretiosius si nequit homo; donet quid majus Deus, si potest: sed Omnipotens plus dare non potuit, inquit Augustinus. Habent & munera voces suas; ideo primum Donum in linguas dispertitum tribuitur: dum monent, ut par gratia referatur, ab eo, qui recipit, postulant aliud munus. Spirabilis Dei Amor postulat gemitibus, qui sunt efficaciores ad impetrandum voces, alia dona, sed ab eodem, qui dedit: & si potius orare nos docet, frustra orare non possumus, si jubet petere, qui dare debet. Quid autem precibus dabit postquam dedit omnia? Nodus solvendus est alio nodo. *Nobis promissa donavit*, ait Petrus: *Spiritus promissionis* à Paulo dicitur. Non 2. ep. 1. ad Eph. 1.

dona-

donatur, dum aliquid promittitur: cur ergo cum datur Spiritus, promittitur? aut quid promitti poteſt, poſtquam in uno Dono data ſunt omnia? Divinus Amor inaudita beneficentia dat ſe non viſum, promittit ſe videndum: voluitque, ut Credentium & Videntium diverſum lumen eſſet, ſed idem Donum.

Gratia triplex dicitur: Amor prima eſt; quæ datur, altera; tertia verò, quæ redditur, quòd

D.Th. 1. 2. qu. 90. art. 1. ultima ex ſecunda, & hæc oritur ex prima, connexæ invicem ſunt, & non ſine deformitate ſeparandæ. Ut igitur ſit pulcherrimum, & ab omni parte abſolutiſſimum Donum; nihil ſupereſt, niſi, ut grati ſimus.